


1

CHRISTIANUS THOMASIVS
Ictus, Confiliar. Elector. Brandenb. ac Facult.
Juridicæ p. t. Decanus.

LECTURIS

S. P. D. & O. P.



B. C. D.

QUAMVIS communiter doceatur, in regimine Ecclesiastico vitanda esse duo extrema, quorum alterum Cæsaro-Papix nomine insigniunt, alterum Papo-Cæsariam appellant, neminem tamen hactenus invenire licuit, qui perspicuè ista duo vitia inter se secernere docuerit. Quomodo vero evitari poterunt eadem, si non intelligantur aut sentiantur? Quid juvat, quod omnes ore profiteantur, ea esse fugienda, si tamen multi eadem vel alterutrum eò securius committant, quod ob ignorantiam communem quilibet negare audeat, se id facere, quod ore condemnaverat? Video quidem communiter isthæc vitia distinctione inter externa & interna potestatis Ecclesiasticæ secerni, sed video etiam ea distinctione parum profici. Dicunt: Principibus competere potestatem circa externa in Ecclesia, Clero potestatem circa interna: Cæsaro-Papiam evadere, si Princeps etiam circa interna se velit immiscere, Papo-cæsariam, si Clerus velit disponere de externis, aut etiam rebus aliis ad Ecclesiam non pertinentibus. Benè hæc omnia, si modo illa externa & interna Ecclesiæ ita evidenter sejuncta essent, ut non quotidiana confusio eorum, etiam à docentibus, esset metuenda, & si modo hoc pacto non per æquè obscurum exponeretur id, quod jam satis obscurum erat. Rejecimus eam ob causam hanc distinctionem jam alibi. Et quamvis ea rejectio multis displicuerit, præprimis, quorum intererat, Laicis in doctrinâ juris Ecclesiastici oculos non aperiri, vel ex præsentis tamen materia dicta à nobis illustrari possunt. Papo-cæsariæ exemplum omnes ferè non nisi in Papa quærunt, cæcus Evangelicos eo vitio immunes esse communis fabula est, sed fabula. Annon enim in multis locis Ministri Ecclesiæ alterum pedem in Curia habent? Ut de Confessoribus nihil dicam, ubi certè non agitur de internis Ecclesiæ, sed apertè de externis: Quod si dixeris hæc exempla ad Papo-cæsariam non pertinere, nec esse hæc vitia, aut illicita, parum tamen promovebis, si modo obtineam, nec ergo me, nec te ex communi doctrina formare posse clarum conceptum Papo-cæsariæ. Cæsaro-papias exempla, uti ob summam Cleri vigilantiam, omni tempore fuerunt rarissima, ita nec hodie multa extant, nisi quod sæpè Principibus controversia moveatur à Clero, cum jure suo circa externa uti volunt, ac si simul interna ipsis credita aggredierentur & sic Cæsaro-papiæ exempla præberent. Prodest enim obscuritas doctrinæ illius rarè Principibus, sæpè Clero. Sub hac larva Zelum divinum & spirituale interpretantur, quod in se Papo-Cæsaria est; sub eadem Principum jura involant, & si Principes nitantur contrà, eos de Cæsaro-papia acculant. Nullum jus principi competit circa ea, quæ Deus jussit & prohibuit. Benè, Ergo vel
(2 nullum

nullum jus Principi reliquum est, vel in iis id habet, quæ Deus non præcipit, nec in-
 terdixit. At hæc ultima quid aliud sunt, quam quæ uno verbo dicuntur Adiaphora?
 Sed annon & nostris Principibus jus circa Adiaphora apertè negatur à Clero no-
 stro? Annon Cæsar-papæ crimen impingunt illis Principibus, qui jure suo utun-
 tur? Inter externa, si quæ sunt, quid magis externum esse poterat alicui negotio,
 quam locus & tempus? Et tamen hoc ipsum jus Principibus controversum red-
 ditur. Nec possessio diuturna & continua deterret adversarios. Capiamus ex
 re primum obvia exemplum. Nulla est ordinatio Ecclesiastica in terris Principum
 Protestantium, quæ non de loco & tempore cultus divini disponat. Et tamen si
 quis urgeatur, ut secundum ordinationem illam tempus concionum suarum deter-
 minet, multi urgent, istas ordinationes petere interna Ecclesiæ: scriptum enim
 esse à Paulo: Spiritum Sanctum ne extinguatis. Ergo Magistratum Politicum
 huic præcepto divino refragaturum esse, si determinare velit tempus concionandi.
 Additur: parum Christianos esse, qui conquerantur de longioribus concionibus;
 has ad beneficia Pastorum esse referendas; Ex impulsu Spiritus Sancti concio-
 nes in longius spatium extendi, cui à ministro Ecclesiæ non possit nec debeat re-
 sisti; Ministerium esse Officium Spiritus Sancti, & ideò etiam Germanico idio-
 mate ministros appellari Spirituales καὶ ἑξοχὴν. Suggestum esse officinam
 Spiritus Sancti, Conciones longiores non esse rejiciendas, cum fundamentum ha-
 beant in scriptura, Christo ipso & Paulo conciones in longius extendentibus;
 debere ergo longiores Conciones attentè audiri, etiam ab ipsis Principibus, exem-
 plo Constantini M. Vit. Const. l. c. 33. &c. Tanta est vis harum ratiuncularum, ut
 etiam hominibus piis per easdem subinde impositum fuisse observaverimus. Mi-
 scentur multa huc non pertinentis. Ita est, qui verbum Dei tædio habent, parum
 Christiani sunt, ergo & illi, quos conciones piorum hominum ex impulsu Spiritus
 Sancti agentium nausea afficiunt. Sed hoc non est in quæstione. Peccabat con-
 servus in Evangelio à conservo suo ex rigore debitum exigens, sed tamen hic illi
 non opponere poterat exceptionem non competentis actionis. Ita peccant audi-
 tores, quibus verbum Dei tædium est, sed propterea Minister Ecclesiæ non libera-
 tur ab obligatione erga Principem & Ecclesiam. Neque huc pertinet, quærere, an
 conciones longiores sint res sua natura turpes & rejiciendæ. Quis enim unquam
 id asseruit? Sunt ergo & parum hic pertinentia exempla concionum Christi &
 Pauli. Et eo minus huc pertinent, quo magis distant inter se conciones Christi &
 Apostolorum à concionibus nostris, quæ discuntur artificio humano secundum præ-
 cepta collegiorum homileticorum. Adde, quod nec Christus, nec Paulus pro-
 missione sive jurata sive injurata se obligaverant ordinationi alicui Ecclesiasticæ.
 Afferuntur præterea quædam apertè Papistica, qualia sunt, de nomine spiritua-
 lium etiam ministris nostris tribui solito, & de exasciandis Principibus nostris ad
 exemplum Constantini apud Eusebium, deque suggestu officina Spiritus Sancti,
 qui in officinam hanc non ante erectus est, quam eo tempore, quo ex studio
 Verbi divini factum est opificium. Omnis nervus ergo dissensionis in dicto
 Pauli situs est, qui spiritum non vult extingvi aut supprimi. Jam demus, de Spi-
 ritu

ritu Sancto eum intelligendum esse, quamvis & de hoc adhuc possit disquiri: demus insuper, Ministros concionantes agi spiritu Dei, quamvis de impiis id omnino negandum sit, & pii admonendi sint, ne in se motus pios vel angelicos confundant, cum motibus Spiritus Sancti & Theopneustia: & ut in concionibus suis cum Paulo distinguant inter ea, quæ dicit Dominus, & quæ dicunt ipsi. Demus, inquam, hæc omnia. Quis unquam seposito affectu dicet, per ordinationes Ecclesiasticas tempora concionum determinantes extingui Spiritum aut supprimi? Si Spiritus Sanctus, non supprimitur in Professoribus Theologiæ determinatione horæ, quomodo supprimeretur in concionatore? Si non supprimitur ideo, quod per ordinationes Politicas adstringi se patitur ad exponendas Epistolas & Evangelia ab hominibus præscripta, & quod certo ac statuto tempore conciones incipiant, cur supprimeretur determinatione temporis, quo debeant finiri. Quamvis insuper concedamus, parum Christianum videri, si quis cum summo rigore observationem ordinationum illarum à ministris velit exigere, cum facile excusationem mereatur, cui donum brevitatis non est concessum, non tamen ea, quæ excusandi loco proferri debebant, vertenda sunt in impugnanda jura Magistratus Politici, nec statim pro impossibili habendum, quod difficile est, maxime verò quod difficile est ex falsa hypothese. Non credam unquam, si quis dicat, impossibile ipsi esse, determinato in ordinatione tempore, sermones ad populum absolvere, etsi facile credam, eum bona fide hæc dicere. Sponderem, artem illam à quoc. homine integræ mentis, tantum abest à Christiano, facillimè ac gratis & addisci, & doceri posse.

Postulavit hanc digressionem amor errantium, & ut exemplum præbeatur, quam subtile vitium sit Papo-cæsaria & quam insensibiliter insidias struat etiam illis, qui strenuè allaborant in acquirendo & monstrando aliis vero ac unico bono. Multum prodesset ergo si distinctior ejus traderetur conceptus & differentia à Cæsaro-papia. Mihi, salvo aliorum judicio sic videtur. Distinctissima & non combinabilia officia esse imperantium & Doctorum, Mosis & Christi, & ab aliis & alibi fufius est monstratum. Imperium sine coactione non est; doctrina tanquam magnum amoris testimonium & beneficium coactionem omnem respuit. Utrumque officium si misceatur, alterutrum vitiorum sæpè dictorum evadit. Papo-cæsaria est, si Doctores velint imperare, Cæsaro-papia, si Imperantes velint doctrinam gladio obtrudere. Nam si imperantes seposita coactione imperii docere velint, id ad Cæsaro-papias vitium transferre nolim, nec exemplo Usiæ ex Veteri Fœdere illustrare. Ibi enim Sacerdotium Levitis proprium erat, & involabat ad eò officium alienum Usiæ contra voluntatem Dei; at in novo fœdere omnes Christiani sacerdotium spirituale gerunt, adeoque & Reges. Ut de ea quæstione: an Sacerdotes & Ministri Ecclesiæ æquipollean? jam nihil dicam, Arma temporalia sunt Principibus commissa, ad reprimendos hostes sæculi, & coercendos eos, qui turbant tranquillitatem externam. Docentium arma debent esse spiritualia, & ipsorum spiritus diversus longè à spiritu Eliæ. Non peccarent ad eò imperantes dono docendi instructi, si ab imperio transfirent ad doctrinam; peccarent omnino ministri Ecclesiæ, si à doctrina transfirent ad imperium, tantum abest ut coninnoe-

re imperium humanum doctrinae liceat. Vos non sic. Moses officium suum deponere potest, ut Christo fiat locus. At Christus non affectat principatum Moysi, nec ejus assistentia aut miraculis Mosaicis opus habet. Eo ipso testantur se carnales esse, destitutos armis spiritualibus, quando brachium seculare in rebus spiritualibus implorant, & ab eo suppetias petunt. Non male Lutherus illo tempore, quo spiritus ejus intervalla heroica habebat, Evangelium non opus habere defensione Electoris, quin potius per id defendi regiones Electoris.

Quamvis vero aperta haec sint & evidenter, quamvis quilibet in vitium Caesaro-papiae & Papo-Caesariae invehat, nihil tamen utroque sic perspicue exposito frequentius esse etiam in territoriis Principum Protestantium, facile patet, si quis saltem id cogitet, quam firmiter plerisque Principibus à Clero persuasum sit, non tolerandos esse dissentientes in rebus fidei, haeresin esse crimen, haereticos esse brachio seculari persequendos. Habemus pro dolor inter nos frequentia satis exempla inquisitionum plus quam Hispanicarum, & eorum omnium, quae pro stabilitate & Caesaro-papiae & Papo-caesariae invenit Jus utrumque Clericale & Justinianicum & Canonicum, in juncta hic disputatione latius deducta. Habemur Laici, aequè ut in Papatu, pro canibus, & porcis, si non adorare velimus libellos Clerici, & lingere eorum sputa. Forte id nondum nobis dicitur. Sed quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt? Imo nec verba desunt. Ostensum alibi, & incredulis, qui oculis apertis non vident, ostendetur alia occasione, vel ex sola praefatione Formulae Concordiae, quam aperte stabilitur ibi fides Carbonaria, & quam clarè Laici omnes i. e. Principes, Aulici, Milites, Eruditi, Nobiles, Ignobiles, Jcti, Medici, Philosophi, Studiosi, Mercatores, Opifices, Rustici, & sexus sequior in universum saltem non habeantur pro truncis & stipitibus. Sed Veritas Odium parit, haec Veritas parit odium, quo non gravius datur in mundo, cujus liberationem speciatim petere solebat Philippus; odium, quod precibus publicè exorare solent osiores, ut Deus eos repleat odio dissentientium, odium, ut paucis multa complectar, infernale. Sed veritatem qui amat, odium istud non curat, tutus clypeo veritatis ipsius. Amat osiores, & fontem amoris orat, ut ipsum repleat amore horum osiorum, rogat ut ipsos illuminet, quo miseriam suam agnoscant; & ut condonet furorem, quem nesciunt furorem esse, sed habent pro Zelo divino. Interim contumelias eorum & calumnias spernit, sed absque ambitione, negligit, sed absque negligentia. Si opus sit, duobus verbis monstrat falsitatem imputatorum criminum. Monuerunt me saepius amici, ut Clerico Dantiscano, in scripto publico me perjurii & apostasiae accusanti, responderem. Sed quid opus responsione in mendaciis apertis? Defensione indigemus & excusatione, si indicia adsint aut suspiciones rei turpis, cujus accusamur. Ego perjurus sim? qui nunquam per Dei gratiam juravi in ullum libellum Clericalem: Quod si jurassem, ex ignorantia & bona fide, alio argumento liberarem me ab impacta perjurii calumnia. Jam eo non est opus. Qua fronte me vero Apostatam dixerit, ignoro. Vivo in secta, in qua natus & educatus sum, nec unquam ad aliam transivi. Scio non paucos Clericos optare, ut transirem, & possem historiam narrare,

folli-

sollicitasse quosdam ex Clero Lutheranis, (quis putaret!) Virum Illustrem ex Religione Reformata, ut mihi persuaderet, quo ad religionem reformatam transirem. Sed nolo risum excitare narrando, quam facetè impudens hoc petatum fuerit rejectum. Ergo huic quidem convitiatori nihil aliud repono, quam ut precer seriam agnitionem impudentiæ & pœnitentiam ob infamia & enormia crimina, quæ vel sola publicatione itinerarii famosissimi publicè commisit.

Videbatur obtrektor alius isque anonymus fusiori responsione dignus, qui sub titulo *repetitionis doctrina orthodoxa de fundamento fidei* omne id egerat, ut ex disputatione nupera, *An hæresis sit crimen?* me argueret, quod declinaverim à simplicitate fidei, ut Spiritum Sanctum quasi correcturus apertissima scripturæ dicta everterem & aliud Evangelium prædicarem; quod sim inflatus, nihil sciens, sed insaniens circa sermones ac verborum pugnas, *ich seye in meinen Gedanken ersoffen / daß ich niemand achte*; quod eodem Zelo repugnandum sit sententiæ meæ, quod fides sit amor, quo rejiciatur sententia Pontificiorum de justificatione ex operibus; &c. Et videbatur quidem responsionem eo magis desiderare illud scriptum, quod autor in eo affectaret singularem mansuetudinem ac pietatem, (si modo imputationes modo dictæ stare poterunt cum mansuetudine ac pietate) & quod adeò multis videretur: alium latere autorem, quam qui revera id scripserat. Posteaquam vero innotuit, autorem esse virum, qui jam satis ex aliis operibus carnis notus esset, & qui jam alia occasione, magnâ quidem operâ, sed frustra quæsierat, in clarescere simili scribendi genere, non unæ mihi fuerunt causæ, quod & hac parte monitum amicorum negligendum censuerim. Tria enim præcipuè sunt calumniarum genera quibus me petit occultans se ille hostis, 1. quod aliud fundamentum justificationis ponam, quam meritum Christi, 2. quod fidem pro amore habeam, 3. quod injuria affecerim Apologiam A. C. quod dixerim, eam de fide intellectualem tantum loqui, quia videlicet decreverim, Lutheranam Religionem & Libros Symbolicos accusare & rejicere. Sed quid hic verbis est opus: ubi ipsa disputatio, & ipsa sana ratio me defendunt. Nam 1. dum fundamentum fidei meæ dixi esse amorem Dei & odium sui ipsius, non potui, ut ipse contextus totius paragraphi ostendit, loqui de fide justificante, & de fundamento justificationis, sed apertè locutus sum de fide, quatenus confessionem de Symbolo de Systemate denotat, cujus articuli dividuntur in fundamentales & non fundamentales. Et evidens est sensus dicti mei, quod in mea fidei confessione centrum & norma omnium controversiarum ad eoque & fundamentum & finis, ad quod omnia referri debeant in confessione fidei, sit amor Dei & odium sui ipsius, ita ut errores qui ab utroque vel alterutro horum abducant, pro fundamentalibus & periculosissimis habeant; eos vero errores in confessione fidei, qui ab amore Dei non seducant, nec odium sui ipsius impediunt, uno verbo, qui non avertant nos à viva cognitione mysterii voluntatis divinæ, etiam si errent circa varia mysteria essentia divinæ, utpote imperscrutabilia & omnem intellectum, etiam illuminatum superantia, me pro fundamentalibus ac periculosis non habere, etsi videam fortè omnem Clerum, & Prin-

cipes

cipes ab iis seductos in hos errantes tanquam infames ac pessimos hæreticos lævire. Id vero, credo, ne quidem ullus philosophiæ tyro à me postulabit, ut tempus perdam collectione infinitorum locorum ex lexicis, metaphysicis item, & scriptis ipsorummet Theologorum nostratium, finem & normam ac in genere omnem propositionem primariam alicujus disciplinæ aut systematis recte dici fundamentum. Denique sophismata & contradictiones ab autore in singulis ferè lineis & paginis hic commissas ostendere velle cui usui? Periti jam vident. Imperitis parum prodesset. Minimè omnium ipsi Autori, utpote quem ex variis argumentis cognovi, esse inemendabilem, postquam seriis adhortationibus non est emendatus, quas ipsi dederam in aliquot literis ad ipsum aliis occasionibus scriptis, quas utique simul publicare debuisset, si sincerè voluisset narrare historiam controversiæ alterius inter nos actitata. 2. Quod fides sit amor (etsi non omnis amor sit fides) omnes evidentissime agnoscunt, qui, omisi philosophia gentili, & corda propria & scripturam sacram scrutantur. Qui id negant, ante omnia rogandi sunt, ut omnem sapientiam hujus mundi abjiciant, & ad notitiam seriam sui ipsius & humani generis atque ad fontem omnis sapientiæ veræ transeant. Hoc ab ipsis non impetrato frustra erit omnis disputatio. Et jam vetus est illa controversia, ac in Reformatorum secta jam inter Gisbertum Voëtium & Coccejanos anno hujus seculi 76. publicis in scriptis ventilata. Præprimis quidam Cephæ Pistophilus eruditum scriptum, qua sententiam Theologorum Veterum & Recentiorum de amore in Fide exponit, tum edidit, quorsum adversarium meum remitto. Si Paulum Augustino præferret Antagonista, rogarem, ut diligenter expenderet verba Pauli: *Charitas credit omnia, sperat omnia.* Nunc cum probabile sit, majorem apud ipsum etiam, ut apud alios communiter, esse Auctoritatem Augustini, audiat hujus sententiam. *Credere in Deum est credendo amare, in eum ire & membris ejus incorporari. Fides est cognitio, per quam non querendo volitamus, sed inhaerendo diligimus.* Aversus hunc ergo & adversus Paulum vertat hæretifex eundem Zelum suum, quo erga Pontificios uti vult. Opto vero carissimæ Patriæ, ut hic scriptor nunquam occasionem habeat Zelum suum erga præsentem Pontificios ostendendi, sed semper contra absentes. Vereor enim valde, ne, si contra præsentem Zelo opus sit, ex hoc Zelote fiat Gaal. Jud. IX. 29. 38. Vereor valde, ut armis instructus sit, quibus adversus hostes præsentem opus est, cum è scholis prodierit, quæ, more Pontificiorum, docent adversarios ante fugare, quàm adversus eos pugnetur. Si genuino Zelo instructus esset, cur non suo Zelo utitur adversus me præsentem? cur non huc venit & cum antiquis amicis consilia capit me hæretificandi? cur non publica mecum collatione ostendit, Thomasius esse tantum hæreticum, cui eodem Zelo resistendum sit, quo libenter resistere vult Clerus Zelotes Pontificiis? cur non acceptat invitationem meam publicam aliquoties iteratam, & honestissimas condiciones ibi positas? His autem conditionibus neglectis mihi non vertetur vitio, si similiter schedas, adversariorum sim neglecturus atque hostium timidorum, & qui malunt insidias occultè struere, aut in absentem calumniari, quàm cordatè pugnare & sincero ore veritatem tueri.

quæri. Obstrictus ero ut amico maximo, qui mihi sincere ostenderit, me quid docere, quod turbat quietem publicam, aut quod repugnat sacris literis. Sed præter rationem & SS. literas nullum alium libellum admitto, minimè verò omnium à Clero confectum & conscientis Laicorum obrutum. Volo jure uti, quo Lutherus usus est, quod non potest denegari ulli homini. Symbola & Libros Symbolicos, quæ confessiones sunt eorum, qui confecerunt, non odi, sed quæ normæ esse debent conscientiarum aliarum & judices controversiarum, omnes non odi quidem, sed horreo, & si opus est, ad juramentum perhorrescentiæ me offero. Quod vero in disputatione illa (3) Apologiam A. C. injuria affecerim, nemo dicit, qui verba mea curatius pensitaverit. Dixi: textus, latinum & Germanicum non correspondere & verba esse dubia, & variantia, ut non sis firmiter persuasus, utrum de fide intellectuali loquatur apologia, an de fide cordis, qui sine amore esse nequit. Adversus istam doctrinam parum aut nihil facit, quod VELLE & ACCIPERE mox sequatur in Apologia. Vidi ista jam illo tempore, dolosè non omisi. Sed ea non satisfecerunt: Jam per aliquot secula Clerus voluntatem & intellectum miscere advetus est. Jam Justiniani tempore illi, qui credebant, veras esse formulas à Clero præscriptas, quod intellectus est opus, dicebantur sequi Dei omnipotentis amorem, quod voluntatis est *l. 19. C. de heret.* Non sufficit ex mea sententia ad veram fidem, VELLE ACCIPERE, quod Deus offert, sed cum Augustino, velle inhaerere Deo. Quid putat Repetitor? VELLE MEDITARI pertinet ne magis ad intellectum, an ad voluntatem? Quid putat: VELLE speculari divitias sponsæ, VELLE easdem ACCIPERE oblatas à sponsâ; imo DELECTARI iisdem, & FIDUCIAM ac SOLATIUM in iis ponere: quid putat inquam? Videt meros actus voluntatis majusculis literis hic expressos. Jam dicat: an ii actus omnes connotant Fiduciam & Amorem Sponsæ, an vere fiduciam & amorem divitiarum seu avaritiam? Discat ergo Repetitor, ad eruditam objectionem non sufficere impressionem literarum majuscularum, sed ultra quid requiri. Sed quid moror? Etiam causas omittendæ responsionis recensendo puto obrectatori satis responsum esse.

Quamvis fortè autoritate paterna idem adactus sit ad fœtum hunc edendum, ut prætextum haberet aliquem Papa Lipsiensis, disputationem meam, quamvis tardè nimis & distractis jam plerisque exemplaribus, confiscandi. Gratiâ ei & pro hac injuriâ ago publicè, & gloriæ id mihi duco, ac rogo enixè, velit & præsentia scripta quam celerrimè confiscatione dignari. Nam confiscationes ab ipso & sociis impetratæ aut jussæ testimonia sunt publica, multum veritatis salutaris, præprimis malitias regni tenebrarum detegentis, libris hic fisco addictis inesse. Ex Magistratu urbis, cujus nomen in confiscationibus simul adhibetur, plerosque, exceptis paucissimis, (pauciores enim duobus esse nequeunt,) facilè excultos habeo, cum mihi probè sit cognitum, eosdem sub jugo hoc Clericali jam diu gemere, atque ut tandem aliquando ab eo liberentur, & eorum status mutetur, sed in melius, animitus approror,

Atque hæc hæctenus adduxisse, non inconueniens credo erit ab instituto, cujus causa calamum suscepi. Sustinuit enim in disputatione illâ, quæ lapis offen-

tionis fuit, respondentis vices Nobiliss. atq; Consultissimus JOHANNES CHRIS-
 TOPHORUS Rube/ Advoc. Dux Sax. Salfeldensis, qui jam programme hoc
 secundum statuta Facultatis nostræ commendandus est. Natus est Ebræ superio-
 ri propè Sondershusam die 19. Novembr. 1665. Patre Viro Reverendo, JOHAN-
 NE CHRISTOPHORO RUBIO, Pastore superioris & inferioris Ebræ vigilan-
 tissimo, Matre ANNA CATHARINA, natâ Saurackeria. Ab his parentibus,
 qui adhuc dum vitali aurâ fruuntur, noster sub adjutorio præceptorum privatorum
 usque ad annum ætatis duodecimum educatus, actum in Scholâ publicâ Sonders-
 husanâ diligentia & fidelitati Rectoris, *M. Cunradi Dunckelbergii* commendatus
 est, jam Nordhusanum Pædagogium moderantis. Vixit ibi, ut discipulus assi-
 duus & attentus, usque ad annum 84. seculi præsentis, ubi ex consilio Patris ac
 Præceptorum Scholam cum Academiâ Wittenbergenfi commutavit, sumtibus
 studiorum suppeditante singulari munificentia Illustrissimi Comitis Schvartzbur-
 gici, quam humillimâ recolit mente. Præmissis Wittebergæ fundamentis in
 Philosophiâ sub informatione Excellentissimorum Professorum & Adjunctorum
 Clarissimorum, præprimis autem in studiis elegantioribus & Historicis diligen-
 ter frequentato Auditorio viri sui nominis SCHURZFLEISCHII, & Historiam
 Universalem, & Notitiam Imperii, & introductionem ad Historiam exponen-
 tis, ad sacra Themidos transit, & Magnificos Viros, ZIEGLERUM, HEBE-
 RUM ac BERGERUM publicè, privatim vero Excellentissimum BRENDELIUM,
 audivit, ac sub hujus potissimum manu ductione cursum juris integrum absolvit,
 ac disputando etiam in Struvii Jus Romano-Germanicum Forense & Schnobelii
 Dissertationes publicè pariter ac privatim se exercuit. Hinc ad Academiam Ju-
 liam anno 1687. migrare constituit, quod tùm quidem sibi persuaderet, gloriam
 & eruditionis æstimationem inde parari, si in diversis Academiis quis commora-
 tus esset. Sed DEO aliter visum erat, cujus providentiâ factum est, ut Nostro
 eò tempore Syndicatus, qui Sondershusæ vacabat, conferretur, atque thalamo
 jungeretur Virgo & formæ elegantia & morum suavitate prædita *Anna Doro-
 thea, Johannis Christophori Neufii, Camerarii & sacri ærarii præfecti ibidem filia,*
 cum quâ hætenus dulcissimum ac fœcundum conjugium expertus est. Eidem
 divinæ providentiæ adscribit, quod, postquam Sondershusæ per quinquennium
 munere illo functus esset, simul vero desideria aliorum in judicio proposuisset,
 Salfeldiam se contulerit, ibique in ordinem Advocatorum Principalis Cameræ &
 Præfecturæ d. 9. Aug. 1692. præstito juramento, clementissimè receptus fuerit, at-
 que per totum vitæ spatium se infinita alia divinæ benignitatis & Clementiæ signa
 expertum esse pia mente deprædicat, ut adeò, jamdudum divinæ directioni se to-
 tum tradiderit, operas vero suas utilitati aliorum destinaverit. Quibus expedien-
 dis ut magis par esset, ex monitu amicorum mense Junio hujus anni accessit *Al-
 mam Fridericianam*, admissionem ad majores honores ab inclytâ Facultate Juridi-
 câ petiturus. Ut vero statutis satisfaceret, obtulit mihi Decano Disputationem
 pro Candidaturâ de Crimine Hæreseos, ex qua cur saltem primariam quæstio-
 nem, an Hæresis sit crimen? in ordinem redegerim, causas dixi in Epistolâ
 dictæ

dictæ Disputationi subjunctâ. Circa ea, quæ de crimine hæreseos dicenda restabant, initio consilium dederam, ut illa thesibus brevioribus de crimine Hæretificii includeret, sed paulo post mutavi sententiam, atque ita, ut omnis materia meditationi de Jure Principis circa Hæreticos justè dispositæ inseratur, ita quidem, ut tribus omninò capitibus discursus totus absolvatur, quorum primum agat de *Jure Principis circa hæreticos, ex hypothesis Juris Clericalis*, deductum ex utroque Jure, Civili & Canonico; secundum de *Jure Principis Evangelici circa Hæreticos*, derivandum ex Verbo Dei, novi potissimum fœderis; tertium, de *Jure Principis circa Hæreticos secundum Praxim in territoris Principum Protestantium receptum*, excerptum ex Autoribus Practicis & actis publicis. Nolui tamen Clarissimo Candidato permittere, ut omnia tria capita elaboraret, sed monui, ut theses breviores circa primum saltem conscriberet, ne videlicet ex posterioribus duobus Hæretifices, qui veritatis propagationem pati nequeunt, occasionem majorem nanciscerentur, tristius quid in ipsum tanquam in hæreticum statuendi. Ergo posteriora duo mihi soli, persecutionum Clericalium jam adsveto, reservavi, edenda per modum supplementi, quamprimum Deus vires concesserit. Sic nata est præfens Disputatio inauguralis, cras publicè habenda, postquam Nobilissimus candidatus in utroque examine eum se præstitit, quem non indignum judicaret Facultas nostra, ut hanc licentiam indulgeret. Huic vero Disputationi ut Magnificus Academiae Prorektor, atque Illustrissimi, Illustres, Excellentissimi, aliisque titulis insigniti Academiae nostræ Patroni, Fautores, Professores, Cives, frequenter interesse velint, eâ, quâ par est, humanitate oro, vicissim omnia officia atque inserviendi promptitudinem omnem pollicitus. P. P. d. 10. Novembr. 1697.

HALÆ, Literis Salfeldianis.

AKT 4285


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten initials or signature in blue ink.





profiteantur,
 committant,
 cere, quod or
 ctione inter ex
 distinctione p
 externa in Ecc
 Princeps etiam
 ponere de ext
 hæc omnia, si
 non quotidian
 hoc pacto non
 Rejecimus eam
 multis displic
 siasici oculos
 possunt. Pa
 Evangelicos e
 in multis locis
 storiis nihil di
 nis: Quod si
 vitia, aut illici
 te ex commur
 saro-papias ex
 rarissima, ita
 veatur à Clero
 dita aggredere
 tas doctrinæ
 & spiritualem
 jura involant,
 lum jus princi




KODAK Color Control Patches

Kodak
 LICENSED PRODUCT
 3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



, in regimine
 am alterum Cæsaro-
 sariam appellant, ne
 erispicue ista duo vitia
 tari poterunt eadem,
 rat, quod omnes ore
 erutrum eò securius
 are audeat, se id fa-
 r isthæc vitia distin-
 sed video etiam ea
 re potestatem circa
 o-Papiam evadere, si
 , si Clerus velit dis-
 rtinentibus. Bene
 r sejuncta essent, ut
 etuenda, & si modo
 satis obscurum erat,
 quamvis ea rejectio
 octrina juris Eccle-
 ta à nobis illustrari
 papa quærunt, cætus
 abula. Annon enim
 bent? Ut de Consi-
 sed aperte de exter-
 inere, nec esse hæc
 n, nec ergo me, nec
 apo-cæsariæ. Cæ-
 ni tempore fuerunt
 us controversia mo-
 interna ipsis concre-
 rodest enim obscuri-
 rva Zelum divinum
 b eadem Principum
 pia acculant. Nul-
 t, Bene, Ergo vel
 nullum

